

P V I S



1 6 0 3

LXIX.

NVPTIIS LECTISSIMORVM
SPONSORVM,

67

CLARISS. ORNATIS-
SIMIQVE VIRI SAPIENTIA,
AVCTORITATE, DOCTRINA, ET
virtute præstantis, Dn. M. Casparis Gotschalci, illustriss.
Pr. ac Domino, DN. Iohanni Georgio, Pr. Anhalt.
Com. Ascan. Domino Servestæ ac Berns-
burgi &c. à consilijs,

ET

HONESTISS. VIRGINJS SABI-
NAE, IOHANNIS BRVNONIS CIVIS DE-
LITIANI LAVDATÆ ME-
moræ F.

VOTA IN FELICIS MATRIMONII
AVSPICIUM NVNCVPATA AB AMICIS,
quorum suis singulorum versibus nomina
sunt subscripta.



C^oS.

SERVESTÆ
Excudebat Bonaventura Faber.
Anno M. D. LXXXVIII.

81

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



ΕΥΧΗ ΓΑΜΙΚΗ.

SVNT duo, casta fides, casti socialia lecti
Jura, quibus superat grex sacer orbis opes.
Corda fides Christo, sponsum costæ torus unit:
Sic duo sunt unum fœdere, carne, fide.
O quantum, puro est, uniri pectore Christo
Ingenuo princeps cura sit ista viro.
Proxima sit, thalami sociam sibi iungere castam:
Ut mens & corpus sint sacra vasa Deo.
Gens fera, quam signat nō Christi in fronte character,
Sectatur tenebras, concubitusq; vagos.
Hæc duo discernunt à sanctis agmina cæca:
Ætheris hi ciues, hi Phlegethontis erunt.
Hæc meditor, quoties video sacra fœdera inire,
Quorum animos castus, non vagus urit amor.
Vota etiam fundo, repetam quæ pectore ab imo:
Quod facis Abdia, tu quoq; iunge preces.
O generis nostri, DEVS optime maxime custos:
Quem nec sensa imi pectoris ima latent.
Tu nos iussisti socij consortia lecti
Jungere, tu thalami vincula casta ligas.
Tendimus ecce tibi duplices ad sidera palmas:
Da nostras per te pondus habere preces.

Pecto-

*Pectora nostra sacro diuini numine flatus
Purga, atq; obscæno corda furore leua.
Sit procul à nostro discordia fæda cubili,
Fac nostrum vnanimis mentibus esse torum.
Expertes nostri sint effice fraudis amores,
Intemerata liget pectora nostra fides.
Quod placet, hoc confer famulis: quod displicet, aufer:
Des nisi, quod placeat, displicet omne tibi.
Ergo quicquid adest vitij, tua numina turbans,
Id nostro clemens exime corde Pater:
Vt tibi possimus dignas persolvere grates,
Te colere, & tota fidere mente tibi.
Ne, si diverso procedant flamine vela,
Transuersum impatiens nos dolor abripiat.
Ne, res si fuerint nobis aliquando secunda,
Spernamus verbi dogmata sana tui.
Aspectu sed quo fortuna cunq; fruamur,
Da cantent laudes pectora nostra tuas.
Tu pavidis robur, tu murus aeneus esto,
Ad lapsum incautos ne draco sæuus agat.
Da, precor, ut sua nos circum tentoria figat
Angelus, avertens noxia cuncta, tuus.
Nulla lues odij socialia fœdera ledat,
Gaudia nec dirimat garrula lingua tori.*

Tu

Tu nos fœcunda, tu nostro semine cœlos
Planta, te celebrent pignora nostra patrem.
Annorum saturos tandem tu suscipe regni
Ætherei heredes, in gremioq; loca.
Hæc sunt, ABDIA, meritis spectate, fideq;
Inclyte vir, vario nomine digne coli:
Hæc sunt, quæ cecini, cum supplice poplite ad aram
Costa tibi dextram casta, fidemq; daret.
Tu, qui cuncta boni, quæ fas est, vertis, & equi:
Hæc quoq; quæ cecini, consule vota boni.

VWolfgangus Amlingus.

ΕΥΦΗΜΙΑ ΓΑΜΙΚΗ.

Post universi fabricam,
Gentis sator mortalium
Nostrum bipartito genus
Plantavit, arte digerens,
Marisq; sexu & femina
Distinxit ipsum, mutua
Vtrisque desiderium
Coniunctionis inserens:
Ut ustulatus femina
Ardesceret mas ignibus,

A 3

Nec

Nec mitiore incendio
Maris flagraret femina.
Ad procreanda liberum
Satur feraci germina,
Propaginis ne munere
Stirps orba deolesceret.
Hinc bestiarum noluit
Iungi vagos congressibus,
Certi absque nexu fœderis,
Dataq; dextra pignore.
Sed iure matrimonij,
Quod sanxit ipse conditor,
Ac nuptijs solennibus
Coire binos censuit.
Quis ergò seminarium
Domus neget connubium,
Et civitatis, & rei
Plantationem publicæ?
Quæ nanq; mulierum meris,
Aut quæ virorum cœtibus
Commercio absq; coniugum,
Constare possit civitas?
Hinc illa primam cœlibi
Muletam Lycurgi sanctio,

Seris

*Seris secundas nuptijs
Sed lege pœnas addidit:
At tertiam, cui plurimos
Nunc sit videre obnoxios.
Scripsit dicam huic gravissimam,
Qui fortè duceret malam:*

*Tu sera, sponse, sed proba
Inire lecti fœdera,
Quàm macerare tabido
Cor maluisti incendio.*

*Nec dicta cœlibatui
Te mulcta adegit, sed viro
Qui commodum negat **DEVS**,
Vsu carere comparis.*

*O, cuius ista numine
Nunc sanciantur fœdera,
Gaudere te longum velit,
Quam tradit ipse, virgine.*

*Quæ nomen à cultu sacro
Felicè traxit omine,
Cultura tecum simplici
Rerum parentem pectore.*

*Sic cuncta pleno suggeret
Vtrique cornu copia,*

Et

Et uberant e tritici
Messe arva late vestiet.
Sic, quæ paterna præferat
Virtutis ore lumina,
Moresq; matris aureos
Rubore vultus indicet,
Vernante vestras agmine
Proles coronabit dapes,
Curæq; amara vacula
Balbutienti diluet.

Gregorius Bersmanus.

ALIA.

Laudarunt alij socialis vincula amoris:
Oderunt alij sævius angue torum.
Hic placidam dulci peragi cum compare vitam,
Omnis & expertem posse doloris, ait.
Contra alius: quisquis traducere sua viter annos
Expetis, abstineas conjuge caustus, ait.
Hinc tua, Diogenes, vox extitit improba, quando
Femina ab arborea stirpe pependit onus:
Qualibet ò talis penderet ab arbore fructus:
Nam multis herba est femina acerba viris.

Hæc

Hæc animo secum Gotschalculus sæpe revolvit
Hactenus, utrinam sit tribuenda fides.
Verùm alternanti potior sententia visa est,
Quam tua, sponse, tibi sponsa Sabina probat.
Hæc sine nam vitæ usuram tibi ducis acerbam,
Vivere & hæc tecum, tecum obijisse cupit.
Laudo equidem, vereq; novos tibi grator honores,
Quos capis ex sacro fœdere coniugij:
Subscribens Paulo, thalami qui præcipit usum,
Inflammans si cui pectora torret amor.
Huic te nempe manent parentem prospera cuncta,
Quæ lecti socijs annuit ipse Deus.
Utq; hæc eveniant, tacito quæ pectore voluis,
Suppliciter tecum Numina dextra rogo.

M. Balthasar Kistovetter.

ΓΑΜΗΑΙΟΝ.

VT, quæcumq; Dei designat dextra potentis,
Inclytæ sunt, laudes dignaq; ferre suas,
Et quæ delicti non ulla redarguet ætas,
Dum splendere facit cuncta decore suo:
Sic percussa sacri dignetur fœdera quisq;
Lecti, quæ grato quilibet ore ferat.

B

Sive

Sive inter plures stipet quem docta caterva,
Seu solus stupeat grandia facta Dei.
Coniugij autorem, & quo seculi tempore constet
Sancitum hoc, primò volvere mente decet.
Cunctorum & statuum, vastus quos suspicit orbis,
Quòd prima in terris sit scaturigo torus
Devoti atq; petant hinc quanta oracula mystæ,
Ex animo labi ne patiare tuo.
Autorem haud Satanam thalami nos credimus esse,
Castis qui tædis hostica tela parat.
De Mane dicta cohors furioso hoc tradidit ausu,
Vt quam defecit mens bona, sana fides.
Lingere quæ solita est, prohibent quod scribere Musæ,
Ad quod vel Phœbus nauseat ipse poti.
Cuiq; Amoz iaden cõstat cõferre valorem Esa. 64. v. 6.
Omnis iustitiæ, quæ tuncet absq; fide.
Insanire adeò fecit spurcissimus hostis
Damnantes thalami pacta pudica sacri.
Quorum capti animis deliria fæda secuti
Plures hunc sanctum commaculare statum.
Evomat has furias Cynicorum Ecclesia fratrum,
Vix quibus est Stygius fædior ipse canis.
Atq; Orcum damnet monachorum vertice raso
Lernam, quos mirum terra quòd haud revomat:
Et

Et, quorum Agnætas monachos versutia velat,
Verè Esauitas, vipereumq; genus.
Venali iactant lingua socialia lecti
Fœdera qui: nequeant si removere, dolent:
Nec satis his, mordax nam sic sese occulit hydra
Angelico vultu: concelebrare torum:
Vt Deus Edeno sanxit quem legibus horto
Immotis, & quem sit violare nefas.
Sacramentorum quin donant iure iugales
Leges: tam cordi his iussa verenda Dei.
Scilicet hunc superi monachis tribuere laborem,
Complerent ut, quæ cernere non poterant.
Et duo cum tantum Messias, arbiter orbis,
Sacramenta olim religiosa dedit:
Cera ubi cum verbo videas elementa requiri,
Quæ rectè utenti signa favoris erunt:
Inducunt septem monachi: namq; impare gaudet
Hoc numero, siquidem frivola sepe notat.
Vulgus adulandi callens insigniter artem
Ast si vera refers, his & habenda fides:
Cur sacrosanctum diro execraris hiatu
Hoc vitæ, sannis prostituisq; genus?
Id quæq; ad solos plebeios fronte relegas,
Sacrificosq; iubes abstinuisse sacris?

Gen. 2.
v. 10. 18.

B 2

Et

Et scelerato ausu prohibes non fœdera jungi
Tantum hæc, nequitia rumpis at ista simul?
Quo, scelus, ore negas, mystæ committier aram?
Qui thalamo dederit, servet eiq; fidem.
Detq; operam, adjutus sociat a uxore fideli
Ut queat exemplis condecorare fidem.
Et coram populis quod magno edisserit ore,
Hoc vita possit moribus ipse loqui:
Ad Pauli nutum costam sobolemq; regendo
Christo Ecclesiolam sicq; fovere domi.
Nequitia libet ast si tanta agnoscere causas:
Exulat hic pietas, exul abitq; fides.
Castaq; religio succumbit viribus orba,
Turpes fœdisfragi suntq; cuculligeri.
Autorem ast thalami nos novimus esse Tonantem,
Tutantem hæc oculis fœdera vindicibus.
Formati hic orbis sexta cum luce dierum
Euam junxisset numine Adame tibi,
Vidit id, & sensit gaudens sapientibus ausis
Cuncta referre bonum, cuncta carere malo.
Siq; oculus Domini, falli qui nescius, almi
Vsum conjugii lustrat, itemq; probat:
Fex hominum obscuris oculis quid carpis idipsum?
Quos verum Caci cernere mandra vetat.

1. Tim.

3. v. 2.

4. 12.

Quis

Quis neget ast thalamo, materna ut origine cunctos
Productos, vita hac quos habet, esse status?
Et sacer in templis dispensans mystica verbi
Oracula, atq; urgens religionis opus.
Dulcem qua thalamo mercedem gratia rependit,
Huic recta monstrans caelica ad astra viam.
Haudq; ordo excelsus, cautis qui legibus orbem
Temperat, & cives cum ratione regit,
Armatus gladio thalami abjurabit honorem,
Nec rex est, qui non extitit ante puer.
Longa quin serie maiorum insignia servat,
Castoq; ex thalamo stemmata clara petit.
Effrenis monachus, nisi sit de fornice natus,
Nobiscum hic summi praedicet acta Dei.
Adde, quod in casti junctiq; pudoris amore,
Pectora conjugibus qui sociata ligat,
Nobis flammaram vis plane immensa notetur,
In nos quas sentit Filius ipse Dei.
Quem sponsum agnoscit dilectum Ecclesia sponsa,
Ut facta est hujus saucia amore pio.
Nostri, qui pulvis sumus, hic exarsit amore
Tanto, in nos potuit quantus inesse Deo.
Cumq; esset verus cum Patre & Flamine sacro,
Omnipotensq; Deus, gestijt esse puer.

Eph. 5.
v. 23.

Esa 9. v. 6.

B 3

Car-

Carneq₃ de nostra caro factus, corporis artus
Induit, aeternum quos retinere volet.
Perpetuo, & nullo solvendo tempore nexu
Persona, nunc est Christus homo, estq₃ Deus.
Utq₃ in connubio stabili qui pectora fida
Jungunt, nil tristem hos separat ante obitum:
Copula persona Christi sic firma manebit
Perpetuo, nec eam mors violare potest.
Hic etenim, nostra quando pro labe litaret
Intignum erectus, ceu latro, fune crucis:
Sanguinei laticis largos & funderet imbres,
Cuius sanaret vulnera cordis ope:
Tandemq₃ innocuus consputi lumina vultus
Claudens pro nobis mortis adiret iter:
Languentes sanè reliquit corporis artus
Spiritus, & corpus tunc requievit humi.
Ast Deitas Christi, Patre cum, Flatuq₃ sacrato
Que Nato est eadem, haud dissociata fuit.
Quin ut ubiq₃ viget divina essentia Christi,
Excludit, capit aut hanc neq₃, crede, locus:
Sic, licet haud fuerint in puncto mortis ubiq₃
Sancta anima, eiusdem ac exanimata caro:
Hæc erat in tumulto siquidem, sed dextera fovit
Illam cælestis, qui regit astra, Patris.

Est

Est tamen à Verbi personā neutra revulsa,
Unusq; in letho mansit homo atq; Deus.
Evietaq; redux morte ut caput extulit umbris
Coniungens anima vivida membra sua,
Corpore conscendit cœlestia in atria Patris,
In quibus haud Verbum desijt esse prius.
Amplius in terris licet & non carne moretur,
Hac ut de cœlis qui rediturus erit,
Divina prestò hic sed sit virtute, tuendo
Electi cetus agmina cara suj:
Non tamen hic nexus personæ solvitur, atra
Mors minimè potuit quem religare prius,
Hoc mirum fœdus, quod vana indagine mentis
Rimari scelus est, sed manet usq; ratum.
Ast intentatum ne quid fortè esset amoris
In nos, quos fratrum gaudet habere loco:
Atq; sui caperent ne sponsa obliuia pectus
Invida, cessaret fervere nec quid amor,
Deficeretve fides: pastum potumq; salubrem
Curavit semper suppeditare pijs.
Tradidit inq; necem quod corpus, quemq; cruorem
Fudit pro nostris victima sancta malis:
Hæc essent, voluit, tantum haud medicina doloris
Nostri, verum eadem pabula fecit amor.

Pabula carpenda haud lascivo gurgitis ore,
 Ast sancta in cena percipienda fide.
 Languenti esurie hoc epulum caeleste paratum est
 Menti: non ventri, ver mibus iste datur.
 Arentiq; anima hoc salvator destinat alnum
 Nectar, quam venia torret anhelata sitis:
 Ne contabescas mortali in corpore, Christum
 Quisquis amas, donis plenus at eius oves.
 Credas, accedas: verbo diffidere noli
 Christi, tecum habitat qui mediante fide. Eph. 3.
 Quod manus ipsa capit, capiunt quod membra ca- v. 17.
 Hoc facile eripitur, quin facile excutitur: (duca,
 Sed generosa fides quodcumq; amplectitur arctè,
 Invieta hoc servat, firmiter idq; tenet.
 Hac infucati sunt argumenta favoris
 In sponsam Christi, quam redamare decet.
 Prodigus hic propria vita quia sponte redemit
 Nos, atq; eripuit faucibus ex Erebi.
 Tant aq; adumbravit nobis mysteria summus
 Cum casti in thalami legibus ipse Deus:
 Hic quoq; materies sit laudum commoda, grata
 Quas jurvat aeterno pangere voce Deo.
 O autor thalami, qui prima est ordinis omnis
 Mater: Et esse tuo nos in amore docet:

Ca-

Castra, pudica tori sanciti fœdera serves,
Furta vagi pellas spurca, pudenda tori.
Et quia cara tibi sponsa est Ecclesia vera,
Fac nos ABDſAS hic pie CHRISTE pios.

M. Caspar Ulricus.

Επίγραμμα συγχαριστικόν.

ARS & Amor socia valeant num sede commorari,
Gotschalce, dum mens fluctuans revolvit,
Premia nec Gnidia, neq; noscere basiationes
Frontis monebat te severitudo:
Sed Venus hanc voluptis mulcedine flectit appetitus,
Fictisq; vivam jungier puellis
Rectè posse docet Nympham: tu cominus Sabinam
Tori sodalem, te petit Sabina.
Nèpe, Venus, rectè dicta es, quod pervenis ad omnes,
Ad te vel omnes quod venire gaudent.
Hic te fugisset Gotschalce: lege sed reductam
Parere cogis suggerens decenter
Spartani juris decretum, quod cubare solam
Lecto vetabat puberem juventam.
Cui non nota sat est argutia, qua locum notatur
Seni puellus celibi negasse?

C

Ergo

Ergo tibi juvenes non illuisse per theatrum
Volent, lubentes sed loco recedent.
Nam tibi nascetur parvus Gotschalcus parenti,
Olim vicem istis qui queat referre.
Vestras, casta, faces, ut vivant, ventilet faventis
Iovæ, foventi semper halitu, aura,
Candida floridulo thalamos pede Gratia intret, ambo
Ludatis ut non absq₃ fruge amorum.

Johann: Theupoltus, M.

Votum D. Casparis Peuceri.

TÆdis favere ut intimo
Vestris probem me pectore,
Hæc vota nunc munusculi
Loco maritis nuncupo.
Magnum Dei mysterium,
Soliq₃ notum Ecclesie,
Ex voce verbi traditi,
Sanctiq₃ luce Spiritus,
Casta piorum nuptia,
Toriq₃ puri federa,
Quòd sint imago Ecclesie,
Christo velut sponso insite.

Sic

Sic est caput vir conjugis,
Vt Christus est Ecclesia:
Ex illo ut est huic salus,
Sic pendet uxor à viro.

Subiecta Christo Ecclesia
Sicut sua est, sic conjugem
Parere subditam suo
Docet marito in omnibus:

Christus vicissim ut diligit
Ecclesiam, quam sanguine
Suo redemptam, dum foris
Aqua lavacro proluit,

Virtute verbi & flaminis
Expurgat intus, eluit
Nervosq³, plenam gloria
Sanctamq², adornet ut sibi:

Sic conjugem vir diligit,
Corpus suum ceu proprium:
Is semetipsum diligit,
Complectitur qui conjugem.

Haud ullus odit propriam
Carnem, sed illam nutrit,
Fovetq³, Christus ceu suam
Nutrit fovetq² Ecclesiam.

C 2

Quales

Quales imago hac caribus
Pingit toros Christo sacris,
Tales & ipse comprecor
Ardente vobis Spiritu.

His nil precari sanctius,
Nil maius, aut prestantius,
Possum caduca nam simul
Complector & perennia.

Nexos amoris vinculo
Vos mutui Deus sua
Donis coronet gratia,
Hoc & futuro seculo.

Amen.

Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

V077





LXIX.

NVPTIIS LECTISSIMORVM
SPONSORVM,

67

LARISS. ORNATIS
MIQVE VIRI SAPIENTIA,
TORITATE, DOCTRINA, ET
e præstantis, Dn. M. Casparis Gotschalci, illustris,
ac Domino, DN. Iohanni Georgio, Pr. Anhalt.
Com. Ascan. Domino Servestæ ac Berns-
burgi &c. à consilijs,

ET

NESTISS. VIRGINJS SABI-
E, IOHANNIS BRVNONIS CIVIS DE-
LITIANI LAVDATÆ ME-
moræ F.

OTA IN FELICIS MATRIMONII
VSPICIUM NVNCVPATA AB AMICIS,
quorum suis singulorum versibus nomina
sunt subscripta.



C^oS.

SERVESTÆ
Excudebat Bonaventura Faber.
Anno M. D. LXXXVIII.

81

